

ex assistentibus cum debitis osculis, et dicente *Benedicite, Pater reverendissime*; et si erit cardinalis, *Pater eminentissime*; et thurificatur triplici ductu, celebrans vero duplici. *Cæremon. episcoporum*, lib. I, cap. 23; *Cæremon. ordin. Minor.*, part. III, cap. 2, n. 5, et part. IV, cap. 7, n. 11; Bongiovanni, lib. III, cap. 11, et lib. IX, cap. 2; Gavant. et Merati, tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 15, et alii passim. Si autem ad Vesperas est præsens generalis aut provincialis in sua provincia seu episcopus diocesanus, vel alius eo major, tunc expedit quod celebrans incensetur apud altare, sicut in missa, triplici ductu in cornu Epistolæ, et inde revertatur ad chorum, ubi fiet incensatio de more secundum dignitatem et ordinem omnium ibi existentium. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, cap. 3, n. 6, et part. IV, cap. 7, n. 11; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2, et alii.

(65. Quando ad Vesperas præter altare majus aliud altare, seu alia altaria incensanda sunt, tunc, facta incensatione altaris majoris, vel illius, ubi SS. sacramentum asservatur (quod prius est incensandum, quam altare, ad quod Vesperæ fiunt, ut docent Gavant., tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 18, et Merati, *ibid.*, n. 15, ac alii), incensantur alia altaria; et peracta incensatione altarium omnium, quæ incensanda sunt, revertuntur omnes parati ad chorum, et fit ibi de more incensatio secundum modum et ordinem prædictum; pergendo autem de choro ad altaria, et redeundo de altaribus ad chorum, celebrans cum ministris incedere debet detecto capite ob reverentiam cantici evangelici *Magnificat*. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, c. 3, n. 5; Bongiovanni, lib. IX, cap. 3; Bauldry, part. II, cap. 11; Merati, *loc. cit.*, n. 12; Castaldus, in *Cæremon. cleric. regularium*, lib. II, cap. 20; Flumara, in eod. *Cæremon.*, part. II, cap. 4, et alii plures.

(66. Incensatio, quæ omnibus dari debet, quia Christus communicat omnibus odorem suum (S. Thomas, part. III, q. 83, art. 5), et quia quæ facit sacerdos, pertinent ad omnes (Durand., cap. 31), item quia thurificatio representat diffusionem gratiarum spiritualium in capite et ab eo ad membra (idem I, IV, c. 5; Gavant., tom. I, part. II, tit. 7, litt. C), cessare debet ad Vesperas antequam celebrans dicat vers. *Dominus vobiscum*, ex *Cæremonial. episcoporum*, lib. II, cap. 3, et *Cæremonial. ordin. Minor.*, part. III, cap. 2; Gavant., tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 20. Unde qui in choro sunt cantores, vel musici, majori pausa ac graviore modulatione canticum *Magnificat* præcinere debent, et organista sonum solemnius in longum protrahere, ut ante vers. *Dominus vobiscum*, et orationem, incensatio compleatur. Merati, tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 16; Bongiovanni, *loc. cit.*, et alii passim.

(67. Quando duo sunt thuriferarii, quisque a parte sua incensat unum ex assistentibus, et postea cantores per ordinem duplici ductu; sicque etiam quisque suo thuribulo in-

censat suam partem chori, vel singillatim patres, et alios suo ordine facie ad faciem cum debitis reverentiis ante et post, vel in communi transeundo ante sedilia, una simul egredientes ad planum chori, ubi cæremonios per ordinem incensabunt; tantum ter populum, unusquisque a sua parte, incipiendo in medio: et ultimo seipsum, peractis simul ante et post incensationem reverentiis et genuflexionibus debitis. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, cap. 2, n. 1; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2; Gavant., in *Epitom.* tract. 1, part. II, tit. 7, n. 23, et tractat. 2, part. II, tit. 3, et alii.

(68. Qui thurificat, semper stare debet; solus Summus Pontifex a genuflexo incensatur. *Cæremon. episcoporum*, lib. I, cap. 23; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2, et alii passim.

(69. Hic juvat adducere responsionem S. Rit. congregat., in *Ostunen.* 24 Novembris 1703, ad sequentia dubia:

« I. An duci Ostuni liceat retinere sedem cameralem coopertam serico villosa rubeo, cum genuflexorio, tam in cathedrali quam in aliis ecclesiis sæcularibus et regularibus civitatibus extra presbyterium, sive absente, sive præsentem episcopo? Et quatenus affirmative. Nihil de sede fixa et dentur decreta.

« II. An idem liceat etiam ejus fratribus. *Negative.*

« III. An dicto duci debeat thurificatio triplici ductu per aliquem magistrum cæremoniarum, sive alium presbyterum cotta indutum? » Duplici ductu per alium capellanum, sive acolythum.

« IV. An eadem debeat etiam ejusdem fratribus? *Negative.*

« V. An dicto duci debeat pax cum instrumento per aliquem magistrum cæremoniarum, sive alium presbyterum cotta indutum? *Affirmative.*

« VI. An eadem debeat etiam fratribus? *Affirmative.*

« VII. An dicto duci accedenti ad ecclesiam cathedralem, debeat obviam ire procurator capituli, sive alius canonicus ejusdem nomine in habitu canonicali, eidemque in janua ecclesiæ porrigere aspersorium aquæ benedictæ.

« VIII. An idem debeat etiam fratribus. » Ad VII et VIII *negative* prout jacent?

Reproposita vero causa die 12 Julii 1704, per card. Coloredum sub sequentibus duobus dubiis:

« An fratribus ducis Ostuni instantibus liceat retinere sedem cameralem non fixam cum genuflexorio inferioris ornatus, ac est illa, quæ juxta antiqua decreta conceditur dicto duci, tam in cathedrali, quam in aliis ecclesiis sæcularibus et regularibus ejusdem civitatis, extra tamen presbyterium, sive præsentem, sive absente episcopo? Et quatenus affirmative.

« II. An dictis fratribus ducis Ostuni debeat thurificatio unico ductu per capellanum, sive acolythum cotta indutum? »

Sac. congregatio tam in voce quam in scriptis, partibus informantibus auditis; ad utrumque: *Nihil* respondendum censuit

Iterum, et tertio reposita eadem causa die 4 Aprilis 1705, ad instantiam episcopi prætendentis denegare dictum genuflexorium, responsum fuit: « In decisio: » vide licet: « Nihil de sede fixa, et dentur decreta; » quibus alias declaratum fuit, domino loci permitti posse sedem cum genuflexorio et tapeto, non tamen gradatam neque fixam, sed amovibilem, et extra presbyterium. Sic refert D. Ursaya, tom. IV, part. I, discept. 4, n. 1, qui *ibid.*, n. 90, alias ejusdem sacre congregationis resolutiones adducit præcisè his verbis:

« *Miletan.* 26 Aprilis 1704. Obteno ab A. C. adversus promotorem fiscalem curiæ episcopalis Miletan. per Alphonsum Toralba baronem Calimeræ, etc., monitorio super mantentione in possessione, etc., detinendi in parochiali dicti castri sedem, stratum et genuflexorium, et recipiendi aquam benedictam, etc., remissa, etc., causa, etc., ad sac. Rit. congreg. super infrascriptis dubiis.

« Primo an liceat Alphonso Toralba baroni Calimeræ retinere in ecclesia matrici seu parochiali dicti loci pro audiendis divinis, sedem fixam extra presbyterium, absente et non residente episcopo? Vel potius amovibilem cum scabello, tapeto, suppedaneis et postergalibus in casu.

« Secundo an eidem liceat retinere genuflexorium cum tapeto et pulvinaribus? et quatenus affirmative;

« Tertio an eadem prærogativæ, in utroque dubio recensitæ, competat etiam baronissæ ejus matri in casu, etc.

« Ad primum quoad sedem fixam, *negative*. Quoad amovibilem et cameralem tantum, *affirmative*; in reliquis vero, *negative*.

« Ad secundum, *affirmative*, juxta decreta in *Larinen.* 12 Septembr. 1699, in *Ostunen.* 24 Nov. 1703.

« Ad tertium, *negative*.

« *Toletana.* Capitulum et canonici metropolitanae ecclesiæ ad evitandos abusus pompæ et fastus nobilium ad dictam ecclesiam confluentium, qui sellas, strata et pulvinaria præmittent, decreverunt, alias nemini licere in posterum supradictis commoditatibus seu vanitatibus in d. ecclesia uti, exceptis duntaxat regalibus personis et magnatibus. Quod decretum fuit litteris S. Pii V, confirmatum anno 1571; ex quo decreto cum effectum esset, ut nobiles retraxerint se a dicta ecclesia, tandem dictum capitulum, et canonici ad revocandos nobiles decreverunt ampliare et extendere di-

etum decretum ad omnes titulares, et magistratus, et officiales, eorumque uxores, filios et alios narratos in libello supplicii ipsius capituli; quod cum per se facere nequirent, ex quo decretum illud erat auctoritate Apostolica confirmatum, ad sacram congregationem recursum habuerunt, quæ respondit *Nihil*, die 28 Martii 1626. »

(70. In choro thurificari debent omnes singillatim. Quod si tanta sit multitudo clericorum, ut incensatio finire non possit ante finem præfationis, tunc sufficit incensare separatim illos, qui sunt in sedibus superioribus, et reliqui inferiores poterunt incensari sine mora, ita ut finita sit incensatio paulo antequam dicatur *Sanctus*. Merati, tom. I, part. II, tit. 7, num. 70 et 71; Bissus, litt. I, § 7; Bauldry, part. II, art. 7, num. 18; Corset., tract. 1, cap. 11, num. 21; Gavant., tom. I, part. II, tit. 7, litt. C, cum aliis ibi citatis. Et ad hoc facit decretum sac. Rit. congr., in *Placentina ad tertium dubium* sub die 10 Maii 1607. Vide *Resolutiones sac. congr.*, in Append. h. tom., et verb. *ASPERSORIUM*, num. 8.

(71. Alia ad rem. Vide verb. *ECCLESIA*, art. 5, a n. 33, verb. *GUBERNATOR*, a num. 8 ad 16, et verb. *MAGISTRATUS*, num. 3 et 9; doctissimum P. Cajetanum Mariam Merati in tom. I, part. III, tit. 7, num. 72 et 73, ubi ait quod ex *Cæremoniali episc.*, l. I, cap. 23, num. 32, inter alia habetur: « Quod si adsit dominus loci laicus, vel alius princeps major, debeat incensari ter, sicut incensatur episcopus, celebrans, dignitates et canonici bis, » etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Sanctissimum sacramentum Eucharistiæ in tabernaculo altaris reconditum thurificari non debet, sed solum unicum genu tum in transitu tum in reditu flectendum est ante illud, dum thurificatur altare.

(73. At vero si fuerit ibidem expositum, incensatio illius debet a celebrante fieri genuflexo utroque poplite super gradu superiori suppedanei altaris. Gavant., in *Rubric. Missal.* part. II, tit. 8, num. 10, § *Incensat*. Et tunc non incensatur crux, quæ imo adesse haud deberet in altari. Bauldry, in *Manual. sacr. Cærem.*, part. II, tit. 8, num. 9, art. 3, num. 2, et rursus part. III, cap. 20, num. 5. (74. Et celebrans in primo gradu suppedanei stans thurificatur. *Synod. dioces. Benev.*, part. I, tit. 29, sect. 4, § 2, num. 11.

TITULUS.

SUMMARIUM.

1. Titulus crucis Domini quando Romæ inventus. — 2. Titulus *Servus servorum Dei*, quo utitur Papa in bullis, a quo fuerit primo inventus. — 3. Papa quare se vocat tali titulo. — 4. Titulus *Eminentissimi* et *Vestræ Eminentissimæ* quando cœperit dari cardinalibus, etc. — 5. Tali titulo contenti esse debent cardinales, quamvis sint magni principes. — 6. Tituli cardinales in aliis civitatibus extra Romam olim erant, qui erant tituli parochiales, et sub episcopi jurisdictione erant. — 7. Tituli cardinalitii Romæ

erunt olim parochiæ. — 8. Tituli cardinalitii Ecclesiarum Romæ a Sixto V fuerunt præscripti et numerati, et postea designati a Clemente VIII et a sac. congr. Rit. approbati, ac a Paulo V confirmati. — 9. Cardinales in suis titulis circa suos clericos ut possunt censuris. — 10. Cardinales tenentur residere in suis titulis. — 11. Titulus *Messere* anno 1564 tribui solebat nobilibus personis. — 12. Titulum honorificum sibi metipsi attribuere nimis absonum est. — 13. Titulo *de Suor*, non *de Donne* vocari debent moniales. — 14. Titulum, characterem et ordinem

semper retinet episcopus, licet dimittat ecclesiam. — 15. Episcopus ordinans aliquem sine legitimo titulo, tenetur sustentare ordinatum. — 16. Quis et quotuplex sit legitimus titulus pro sacris ordinibus recipiendis? *remissive*. — 17. Ut quis possit ordinari titulo familiaritatis quid requiratur? *remissive*. — 18. Titulus coloratus an et quando sufficiat ad inducendum valorem iis, quæ publici ministri faciunt, præsertim in administratione sacramentorum, et signanter sacramenti Pœnitentiæ. *remissive*. — 19. Titulus potest esse, vel verus, vel coloratus, vel apparens, vel præsumptus, et qui sint omnes præsertim respectu præscriptionis? — 20. Titulus verus non requiritur ad præscribendum. — 21. Titulus

(1. Titulus crucis D. N. Jesu Christi inventus fuit Romæ in ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem die ultima mensis Januarii 1492, Græcis, Hebraicis et Latinis characteribus conscriptus. Alexander VI, constit. 4 incip. *Admirabile* (105).

(2. Titulus *Servus servorum Dei*, quo utitur Papa in bullis, fuit primo inventus a S. Damaso Pape.

(3. Quidquid dicant alii, id attribuentes sancto Gregorio Magno. *Vide verb. PAPA*, art. 2, num. 35. Papa quare se vocet tali titulo? *Vide, ibid.*, num. 34 (106).

(4. Titulus *Eminentissimi et Vestræ Eminentiæ* cepit dari cardinalibus anno 1630, ex decreto sacræ congregationis Rituum, confirmato ab Urbano VIII, die 10 Junii 1630, quo statuit, quod talis titulus a nemine, præterquam ab ecclesiasticis Romani imperii electoribus, ac magno magistro hospitalis Hierosolymitani usurpari possit, aut aliis attribui. *Vide verb. CARDINALES*, art. 2, num. 13, ubi affertur ad litteram tale decretum.

(5. Quod postea Innocentius X sanctione firmavit, jubens omnes tali titulo contentos esse, quatenus sint magni principes. 24 Apr. 1645.

(6. Tituli cardinales in aliis civitatibus extra Romam olim erant, qui erant tituli parochiales, et sub episcopi jurisdictione erant. *Concil. Meldense*, cap. 54, et *Concil. Roman.* sub Leone IV (107).

(7. Tituli cardinalitii Romæ erant olim parochiæ. *Concil. Roman.* sub Leone IV.

(8. Tituli cardinalitii ecclesiarum Romæ a Sixto V fuerunt præscripti, et numerati constitut. 55 incip. *Religiosa*. Quæ affertur ad litteram sub verbo *CARDINALES*, art. 5, num. 23. *Vide ibi*, ubi insuper sub num. 54 afferuntur, prout postea fuerunt designati a Clemente VIII et a sacræ congreg. Rit. approbati, ac a Paulo V confirmati.

(9. Cardinales in suis titulis circa suos clericos uti possunt censuris, ut excommunicatione, suspensione et interdicto. *Cap. His quæ*, De majoritat. et obedient.

(10. Cardinales tenentur residere in suis titulis, alias si Romæ non resideant, et sine Papæ dispensatione alibi degant, deponendi

(105) Vol. IX *Symbolarum Gorianarum* decadis Florentinæ præclara exstat dominici M. Mannii *De titulo Dominicæ Crucis archetypo* dissertatio.

(106) Confer Raynaudum in *Onomastico Pontifi-*

coloratus sufficit ad præscribendum. — 22. Titulus etiam existimatus, dummodo non sit titulus pro emptore, sufficit ad præscribendum. — 23. Cætera autem, quæ concernunt justum titulum ad præscriptionem requisitum, *remissive*. — 24. Titulus coloratus beneficii qui sit et quando habeatur? — 25. Titulus beneficii quando amittatur et quando non? *remissive*. — 26. Titulus antiquus ecclesiæ mutari non potest a confraternitate. — 27. Titulus alienus non potest assumi cum alterius præjudicio, alias punitur assumens. — 28. Capitulum cathedralis non est salutandum a concionatore cum titulo Reverendissimi, atque in absentia episcopi. — 29. Alia ad rem ad num. 36.

sunt, ut fuit depositus cardinalis Anastasius, quia per quinque annos non resederat in titulo Sancti Marcelli Romæ, cap. *Ex gestis*, De clericis non residentibus. (11. Titulus *Messere*, anno 1564, tribui solebat nobilibus personis. Rota, in *Melevitana* 20 Januarii 1706, § *Nec ex alio, coram Caffarel*. Ursaya, *Miscellan.* 1, litt. T, num. 81.

(12. Titulum honorificum sibi metipso attribuire nimis absonum est. Rota, in *Salisburgen. Primogenituræ de Lodrono* 20 Feb. 1713, § *Certius, coram Ansaldo*; Ursaya, *Miscellaneo* 2, litt. T, num. 34.

(13. Titulo de *Suor*, non de *Donne*, vocari debent moniales. S. congr. Episc. et Regul., in *Toletana* 9 Januar. 1595, apud Joan. Mariam Novarr., verb. *Monialis*, num. 5, et Barbos., in *Summ. ap. decis.*, eod. verb. *Monialis*, num. 10.

(14. Titulum, characterem et ordinem semper retinet episcopus, licet dimittat Ecclesiam. *Sacra congr. Rit., in Minerb.* 4 Martii 1601, apud Sell., in *Selectis canonic.* cap. 3, num. 64, et Barbosa, *loc. cit.*, verb. *Episcopus*, num. 6.

(15. Episcopus ordinans aliquem sine legitimo titulo tenetur sustentare ordinatum, textu expresso in capit. *Si episcopus* 37, De præbend. in 6.

(16. Quis et quotuplex sit legitimus titulus pro sacris ordinibus recipiendis. *Vide verb. ORD.*, art. 2, a num. 47.

(17. Ut quis possit ordinari titulo familiaritatis, quid requiratur. *Vide d. verb. ORDO*, art. 3, a n. 29. *Vid. in append. Decret.* in fin. h. tom.

(18. Titulus coloratus, an et quando sufficiat ad inducendum valorem iis, quæ publici ministri faciunt, præsertim in administratione sacramentorum, et signanter sacramenti pœnitentiæ. *Vide verb. CONFESSARIUS*, art. 1, a num. 31 ad 42.

(19. Quoad ea quæ concernunt titulum ad præscriptionem requisitum, advertendum est, quod titulus potest esse, vel verus, vel coloratus, vel apparens, vel præsumptus. Titulus *verus* est, cum re ipsa existit, uti si res sit reipsa legitima hæreditate acquisita. Titulus *coloratus* est, cum intervenit talis titulus, sed ob ignoratam cau-

cio, v. *Servus servorum Dei*.

(107) *Vide Andreucci dissertationem De cardinalibus in genere*, p. 1.

sam fuit invalidus, ut si hæreditas sit acquisita a non potente propter aliquem occultum juris, vel facti defectum talem hæreditatem relinquere. Titulus *apparens*, seu existimatus est, cum talis titulus re ipsa non existit, attamen bona fide putatur existere, ut si quis prudenter existimet talem hæreditatem legitime a patre suo relictam fuisse, cum tamen contra dispositionem legis ei obvenerit. Titulus *præsumptus* est, cum non scitur de ullo certo titulo, quo res incepta sit possideri, nihilominus prudenter præsumitur aliquis adfuisse ratione possessionis longissimi temporis, et hic etiam titulus sufficit ad præscriptionem. *Leg. 4, Cod. De præscriptione* 30 vel 40 annorum, et cap. *Adaures*, De præscriptionibus.

(20. Titulus verus non requiritur ad præscribendum. *Communis*. Et ratio est evidens, quia ubi adest verus titulus rem possidendi, jam antecedenter ad præscriptionem habetur dominium, cum nullus possit rem suam præscribere.

(21. Titulus coloratus sufficit ad præscribendum. *Communissima* per clara jura in tot. tit., ff. et *Cod. De usucapionib.*, tit. *Pro emptore*, tit. *Pro hærede*, tit. *Pro donato*, tit. *Pro derelicto*, tit. *Pro legato*, tit. *Pro dote et instit. de usucapionibus*.

(22. Titulus etiam apparens, seu existimatus, dummodo non sit titulus pro emptore, sufficit ad præscribendum. *Leg. Si existimans* 48, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, cum similibus.

(23. Cætera autem, quæ concernunt justum titulum ad præscriptionem requisitum, *vide verb. USUCAPIO*, § 3 et per tot., ubi abunde de omnibus.

(24. Titulus coloratus beneficii dicitur, qui apparet, seu probabiliter videri potest esse justus, ut si collatio habeatur ab eo, qui habet potestatem ordinariam conferendi, quamvis tunc adfuerit impedimentum legitimum validæ provisionis. Unde si Petro, v. g., conferatur beneficium Pauli adhuc viventis, mortuo Paulo, Petrus habebit titulum coloratum. Item si beneficium prius conferatur Petro, et postea Paulo, Paulus habebit titulum coloratum, quamvis de jure titulus verus sit penes Petrum. Item si impetratum sit beneficium non expresso ejus valore, quando id pro validitate impetrationis requiritur; tunc ad talem impetrationem et collationem requiritur titulus coloratus, et sic de similibus, ut notant passim doctores.

(25. Titulus beneficii quando amittatur, et quando non. *Vide verb. RESIGNATIO BENEFICII*.

(26. Titulus antiquus Ecclesiæ mutari non potest a confraternitate. *Sacra Rituum congreg.* 26 Octob. 1604.

(27. Titulus alienus non potest assumi cum alterius præjudicio; alias punitur assumens, ut, pluribus adductis, egregie suo

(108) An vero episcopi titulares possint, ac debeant vocari ad concilia generalia, in iisque votum habeant decisivum, gravior quæstio est, de qua Andreucci *De episcopo titulari*, p. II, num. 118 seqq.

more probat eminentissimus card. Petra, tom. II *Commentar. ad constitut. 1 Cælestini III*.

(28. Capitulum cathedralis non est salutandum a concionatore, cum titulo Reverendissimi, neque in absentia episcopi. *Sacra congreg. Rit., in Capuana* 23 Januar. 1700, in respons. ad III, apud Monacell., tom. IV, supplement. ad I tom., n. 20.

(29. Titulares episcopi nequeunt cogere synodum diocesanam, nisi qui a suis ecclesiis expulsi sunt, aut in terris Christianorum jurisdictionem exercent in determinatis locis. *Benedict. XIV, De synodo diocæsana*, lib. II, c. 4, a num. 2 ad 6. (30. Episcopi titulares non fuerunt admissi ad concilium Romanum sub Benedicto XIII celebratum anno 1725. *Idem, ibid.*, lib. V, cap. 10, num. 3 (108).

(31. Fraudibus, quæ contingere possunt in assignatione tituli pro sacris ordinibus suscipiendis, sive in beneficiis et patrimoniis fictitiis, sive in patrimoniis conditionaliter constitutis, cum pacto ut clerici ad sacros ordines promoti, si aliunde acquirant, unde honeste vivere possint, bona sibi assignata in patrimonium eorumque usum fructum domino restituant et relinquunt, variis decretis occurrit sacra congregatio Concilii, ut patet ex jam adductis tom. V, verb. *Ordo*, art. 2, a n. 90 ad 100, et tom. VI, verb. *Patrimonium*, a n. 3 ad 44, quibus expresse definit, non solum non licere clericis patrimonium distrahere, ad cuius titulum fuerunt ordinati, sed neque cum aliis bonis cujuscunque generis, sine expressa episcopi licentia illud permutare, ut declaravit eadem sacr. congr. 20 Julii 1619, lib. XVII *Decretor.* pag. 17, ibi: « Patrimonium, ad cuius titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia episcopi permutari cum aliis bonis non minoris redditus aut valoris, sed debere episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita, esse subrogata in locum prioris patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a concilio præscripta. » Et die 6 Martii 1638, lib. XV *Decretor.* pag. 667: « Sacra, etc., censuit eum, qui de facto alienavit patrimonium, ad cuius titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem, ut proponitur, factam, esse ipso jure nullam. » Sic refert *Benedict. XIV*, tom. II, notific. 6, ubi plurima erudite suo more ad rem tradit merito observanda, et alia similia *De synodo diocæsana*, lib. VII, cap. 7, n. 1 et sequent.

(32. Si quis ordinandus sit ad titulum beneficii in aliena diocesi obtenti, et hoc perpetuam exigat residentiam, proventus respondere debent taxæ diocesis, in qua beneficium erectum reperitur. Aliter respondere debent taxæ diocesis, in qua clericus habet domicilium. *Idem, ibid.*, num.

Nullus certe titularium episcoporum, qui plures erant, vocatus fuit ad Lateranense et Tridentinum concilium. *Vide cardinalem de Lugo*, l. V *Responsor. moral.*, dub. 15.

2, ex decret. sacræ congregationis Concil., in *Alatrina* 9 Julii 1708, et in *Romana, seu Sanctæ Agathæ Gothorum* 27 Maii 1713, et ex constitutione Innocentii XIII, incip. *Apostolici ministerii*, ubi expresse habetur: « Cum etiam juxta memoratam Innocentii XII prædecessoris constitutionem, ratione ac titulo beneficii in aliena diœcesi obtenti, non aliter liceat ordines ab episcopo ejusdem diœcesis suscipere, quam si beneficium sit ejus reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat, declaramus sufficientiam hujusmodi præfiniendam esse, non juxta taxam synodalem, sive morem pro promovendis ad sacros ordines, vigentem in loco prædicti beneficii (nisi tamen illud continuam et præcisam residentiam requirat) sed juxta taxam, vel ea deficiente, juxta morem, in alio loco domicilii vigentem. »

(33. Si beneficium habeat annexum onus missarum a beneficiato per se, vel per alium celebrandarum, poterit episcopus determinare, an inter preventus sit numeranda vel

TOLERANTIA

DIVERSARUM RELIGIONUM.

Lubet sequentia expendere.

(1. Tolerantiæ religiosæ pertractatio, ut recte monet D. Zallwein t. III *Princip. jur. eccl.* p. 387, non ad theologiam duntaxat, sed ad omnes ferme disciplinas jurisprudentiæ spectat. Pertinet imprimis ad « theologiam et jurisprudentiam naturalem publicam, » ut inde doceamur, an et qualis religio secundum principia juris naturæ et divini tolerari possit et debeat. Pertinet deinde ad *Jurisprudentiam ecclesiasticam civilem*, tam publicam quam privatam, ut sciamus quid leges ecclesiasticæ et civiles, publicæ et privatæ, circa *tolerantiam religionum* statuerint, quarum tolerantiam permiserint, reproba-verint, approbaverint, et lege publica communiarint. Pertinet demum ad *Politiam*, ex cujus regulis sanioribus dicendum, quid sanior *politia*, quid ratio boni publici, quid *ratio status* circa *tolerantiam*, et maxime pluralitatem religionum in Republica exigat. Esto enim; sanior *politia* pluralitatem religionum in Republica non facile debeat, aut possit admittere, sed omni studio ante omnia conandum sit, ut vera, eaque unica religio, et unanimis recte Deum colendi formula sarta tectaque servetur, quo dissensionibus et motibus civilibus omnis ansa præcludatur; quas nulla magis fax accendere solet, quam religionis diversitas, unde Civitates concuti et lacerari regna necesse est, dum quisque pro religione sua movet et movetur: nihilominus tamen dantur quoque rationum momenta, quæ plurimum religionum in una civitate permissionem et receptionem exigant: cujusmodi foret, si plus mali ex eliminatione, quam ex earum tolerantia secuturum prævideretur; tunc enim veræ politicæ regulis consentaneum

detrahenda stipes respondens numero missarum, ad quas celebrandas clericus, sive per se, sive per alium tenetur ex lege beneficii. Idem, *ibidem*, a n. 3 ad 7. Vide tom. V, verb. *Ordo*, art. 2, a n. 105 ad n. 110.

(34. Titulus beneficii aut patrimonii est necessarius etiam pro ordinatione Græcorum; nec loco patrimonii potest clericus Græcus assignare dotem suæ uxoris; nec ordinarius eam admittere. Idem tom. I *Bullar.*, constitut. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 7.

(35. Benedictus XIV, constitut. incip. *Maxima*, Portugalliæ et Algarbiorum regi, ejusque successoribus in perpetuum *Fidelissimi* titulum assignavit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Titulus insignis cuiusmodi ecclesiæ competat? Et quibus competat titulus capitularium? Vide unam itemque alteram rem examinatam a Rota in *Theatina deletionis titularum* 18 Martii 1782, cor. bon. mem. *Nunz.*

foret ex duobus malis, minus eligere, ut in Germania, ubi Catholici tolerant religionem protestantium et reformatorum, seu Calvinianorum.

(2. Tolerantia in genere describi potest « affectio animi, indeque fluens declaratio, qua ex justis causis et approbata illa, quæ nobis adversa sunt, vel a nobis probantur, prohibere aut declinare non possumus vel non debemus, patienter ferimus, illis non repugnamus aut resistimus, imo aliquando boni publici causa, aut majoris mali evitandi causa expresse admittere cogimur. » Quamobrem tolerantia supponit et *scientiam*, et *voluntatem*, quatenus ea, quæ toleramus, et sentimus, et intelligimus, et nos intelligere declaramus, etiam per *voluntatem* amplectimur, et ea, quæ non possumus vel non debemus avertere, patienter ferimus. Hoc modo *tolerantia* differt a *dissimulatione*; ea enim, quæ dissimulamus, ignorare videmur, et videri volumus; ea vero, quæ toleramus, nos scire et patienter ferre videri volumus, et quandoque publice declaramus et ostendimus. Hinc datur *tolerantia expressa et tacita*, cum tamen *dissimulatio expressa* dari nequeat. Differt quoque a *conniventia*, quæ ferme cum dissimulatione coincidere videtur.

(3. Deinde omnis tolerantia fundari debet in justis et probatis rationibus, quæ ad tria reduci capita possunt: aut enim ea, quæ toleramus, et non impedimus, vel *non debemus*, vel *non possumus* impedire; aut ea impedire *non expedit*. Prima ratio impedimentum *legis*; altera impedimentum *naturæ*; tertia impedimentum *utilitatis* designat. Ex impedimento *juris* tenemur tolerare re-

ligionem protestantium: ex impedimento *naturæ* calamitates subito emergentes, maxime naturales, e. g. grandinem, imbres, etc.; ex impedimento *utilitatis* e. g., inveteratos mores, esto bono publico, non adeo proficui videantur, quos majoris mali evitandi gratia patienter ferimus.

(4. Sequitur tertio *tolerantiam* et *permissionem* aliquoties ab invicem differre, aliquoties convenire: nam aliquoties *permissio* est pure *negativa*, quæ consistit in mera negatione præcepti, et prohibitionis, quando actus nec præcipitur, nec prohibetur, nec præcipi aut prohiberi potest ex eo quod sit nec bonus, nec malus sed prorsus indifferens. Aliquoties *permissio* est *positiva*, quæ dat jus positivum aliquid agendi citra culpam et peccatum, e. g. si princeps det facultatem venandi in silva sibi propria, id quod posset impedire; aut debitor creditori concedit jus alienandi fundum sibi oppignoratum, quo in casu id, quod permittitur, rectæ rationi et juri naturæ debet esse conforme. Aliquoties est *permissio pure talis*, quæ est circa actus illicitos, et solummodo impunitatem, non vero licitatem tribuit, et hinc a quibusdam vocari solet *permissio impunitatis*, veluti quando lex 12 tabularum permisit occisionem furis nocturni, lex Romana concubinatam, et hinc inde permittuntur lupanaria. Et hujusmodi *permissiones* fiunt vel ob evitacionem majoris mali, vel ob impossibilem extirpacionem, uti in datis exemplis, vel ob spem majoris boni, quomodo Ecclesia permittit vivere Judæos suis ritibus, quia sperantur eo facilius ad religionem Christianam reducendi.

(5. Sequitur quarto *tolerantiam* esse multiplicis generis, et quidem aliam *publicam*, aliam *privatam*: illa nititur auctoritate imperantium in ordine ad regendam rempublicam, illiusque bonum promovendum; hæc respicit obligationem hominum privatorum, quatenus « ex regulis Christianæ charitatis, vel pietatis, vel ex regulis prudentiæ, vel ex regulis juris aliqua tolerare, pati et sine resistentia dissimulare tenemur.

(6. *Publica* tolerantia rursus est vel *necessaria*, vel *voluntaria*, seu *gratiosa*; illa debetur ex legibus fundamentalibus, vel pactis publicis inter imperantes et subditos initis, qualis est religionis Lutheranæ in Germania: hæc unice dependet a voluntate imperantis, et pacto respective privato inter ipsum et subditos inito, ita ut in arbitrio imperantis solius stet *tolerantia* huic limites ponere, et eam restringere; id quod non potest, si subditis debeat *tolerantia* ex lege fundamentalibus et pacto publico.

Iterum alia *simplex*, et alia *qualificata*: hæc perfectam jurium communionem introducit cum iis, qui verum jus civitatis habent, ita ut idem sit tolerari, ac jure civitatis perfecto gaudere; illa in simplici imperantis permissione consistit, et sine perfecta jurium communiōne alias ex jure civitatis promanantium nunc arctiores, nunc

FERRAR. VII.

ampliores recipit terminos, quos egredi non licet.

(7. Apud nos necesse non esset plura hæc de re persequi. Italia enim ad hæc tempora, una excepta Judaica, religionum pluralitatem, Deo nobis opitulante, ignoravit. Hæc præcipue adnotamus in Germaniæ gratiam, ubi tres tantummodo religiones ex Pace Westphalica permittendæ essent, Catholicorum, Lutheranorum et reformatorum. Certe disertissima sunt Pacis Westphalicæ verba artic. VII, § 2, « sed præter religiones supra nominatas nulla alia in sacro imperio Romano recipiatur vel toleretur. » Nihilominus protestantes in plures abiire sententias, quorum aliqui volunt, paciscentes tolerantiam solummodo *necessariam* determinare; *gratiosam* econtra imperantium arbitrio relinquere voluisse. Huic sententiæ suffragatur ferme communis praxis Germaniæ, cum passim non modo diversi generis hæretici, e. g. Anabaptistæ, Menonitæ, Hernhutiani, sed etiam Judæi a statibus imperii recipiantur et tolerantur. Alii hanc clausulam a Catholicis clandestine intrusam ac suppositam fingunt, quorum doctrinam ne ipsi quidem sapientiores protestantici approbant, metuentes ne Catholici jure retorsionis ac repressaliarum utentes similia ipsis jure certe longe majori objiciant. Alii, quorum opinio plures habet sequaces, citatum § intelligunt de tolerantia et exercitio religionis *publico*, *qualificato* ac *privilegiato*, tali, quali fruuntur Protestantes; non vero de tolerantia *simplici* et exercitio *privato*. Hujus opinionis præter alios sunt Boehmerus *Jur. eccl.*, tom. I, tit. 1, § 58, et Hennings, *Medit. ad P. W.*, p. 879.

(8. Verum cum clarissima sint, ut vidimus, Pacis Westphalicæ hæc de re verba, utquid ad contortas Zallwein interpretationes confugimus? quam facile fuisset paciscentibus distinguere inter exercitium *publicum* et *privatum*, inter *tolerantiam privilegiatam* et *simplicem*, si illorum intentio fuisset restricta ad exercitium *privilegiatum*? Anne fortassis aliud mente retinuerunt paciscentes, et aliud verbis expresserunt, et hoc agendi modo Catholicos circumvenerunt? Sed hoc ipsis fore probrosum facile intelligent ipsi. Imo de aliarum sectarum exercitio tolerando ne quidem ipsos tunc temporis protestantes somniasse, id argumento est, quod ipsis tota contentione laborandum fuerit, ut pro se *libertatem conscientiæ* et tolerantiam suæ religionis eblandirentur et extorquerent. Omnis illorum zelus pro vindicanda *libertate conscientiæ* erat interessatus, partialis, unice intentus in bonum suæ religionis protestantiæ. Et quare haud pauci eorum Zwingianos et reformatos in consortes religionis, ac in participium tolerantia, juriumque eidem annexorum admittere noluerint, et tandem ægre admodum reformatos admiserunt? Quare in hodiernam usque diem protestantes in reformatos adeo sunt rigidi, ut illorum exercitium in illis locis.

32